

Q. R. 238, 6.

ALCON ECLOGA,

SIVE

QVERELA,

DE OBITU

1994903

VIRI REVERENDI
PIETATE, DOCTRINÆQUE
ERVDITÆ COPIA FACVLTATEQUE

egregia, sapientia, virtute, ac dignitate cla-
riss. Dn. IOACHIMI CAMERARII,
vtriusq; linguæ in celeberrima Academia

Lipsensi Professoris eximij,

adeoq; incompa-
rabilis,

SCRIPTA

A

Gregorio Bersmano Annæbergensi,

studio amante Praeceptorem, Patronum, & ami-
cum, perpetua obseruantia colendum.



LIPSIÆ

Iohannes Rhamba imprimebat

M. D. LXXIII.

*Humaniss. & doctiss. q. Viri Dn. Iohanni Schenck
opt. artium Magistro, ac ludi scholastici Haynensis
moderatori, amico S. cariss. et autor.*





[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, including names like 'Gregorio Bernarino' and 'Johannes Bernhardus' and dates like 'M. D. LXXIII' and 'L. P. S. I. A.']



ALCON.

HVNC etiam Philyreia mihi concede laborem,
Quæ circum herbosos saltus, & amœna frequentas
Amnis Elistræi nemora, & rorantia lymphis,
Irriguis Plissæ lymphis rorantia tempe:
Muneris hunc mihi supremi concede laborem.
Dum Nymphis refero auditas, Faunisq; querelas,
Quas mollis nuper tiliæ viridante sub vmbra
Hinc Corydon, hinc astra uocans crudelia Damon
ALCONEM flentes, miseranda voce dederunt:
ALCONEM Phæbiq; decus, curamq; sororum.
Quem toties syluæ, toties & saxa canentem
Senserunt, syluæ comitata, & saxa canentem:
Et calamos miratus, aquas suppressit Eliſter.

At tu seu tractas magni res Daphnidis, ingens
Europæ Melibæe decus, columenq; bonorum:
Seu curis uacuis paullatim, & fasce leuatus
Immenso, Claras animum demittis in artes:
Huc ades, Alconisq; tui ne despice laudes:
Huc ades, ante alios si te studiosius ALCON
Obsequijs coluit, firmo complexus amore.

Æstus erat, Tauriq; means per cornua Titan
Accendebat agros, medio ardentissimus orbe:
Cum pecudes frigus captant, volucrumq; loquelis

Omne filet nemus, & ventosi murmuris auræ:
Succedens antro Corydon, consorsq; doloris
Luctisonis Damon rumpebant questibus arua.
Et prior hæc Corydon gemitu iactabat inani.

COR.

Quis dolor ô sylvæ, quæ vos arbusta tenebat
Mæsticies, ALCON gelida cùm morte periret?
Nam neq; tum saltus, nec mollia prata voluptas
Vlla tenebat, agri squalebant, pascua luctu.

Dicite Elistriades lugubria carmina Musæ.
Illum etiam montes fleuere, & saxa peremtum,
Deformes planctu montes, deformia saxa:
Et versæ in lacrymas abierunt fontibus vnda,
Guttarumq; nouis creuerunt auctibus amnes.

Dicite Elistriades lugubria carmina Musæ.
Nec mortem lacrymæ, nec ferrea numina placant,
Non Phaëthontiadum crebris si fletibus ortus,
Et seras condas iteratis fletibus vmbra.
Non si luminibus cumulem manantibus vndas,
Vndas Eridani, ripamq; sororibus auctam.

Dicite Elistriades lugubria carmina Musæ.
Responsura sono mulcentis rura Camæna,
Muta latet syluis alternæ vocis imago,
Incassum tentans ingrata silentia Musæ
Rumpere, iucundo consueti imitamine cantus.

Dicite

*Dicite Elistriades lugubria carmina Musæ.
Pinea semiferi capitis velamina tollens,
Pan calamos fregit, citharam suspendit Apollo,
Funere dilecti mæsto turbatus alumni:
Extinxitq; faces puer, abiecitq; pharetram,
Frontis & agrestem posuit Sylvanus honorem.*

*Dicite Elistriades lugubria carmina Musæ.
Quos tumulo cernis vernanti surgere flores,
Pieridum lacrymis creuerunt: crescite flores,
Vobiscum nostri crescent monumenta doloris.*

*Dicite Elistriades lugubria carmina Musæ.
Plectra iacent sine honore, silent cantusq;, lyræq;
Sibila nec frondes, nec fundunt murmura riui,
Omnia nunc mærent: at cum modò uiueret **A L C O N**,
Plectris stabat honos, cantusq;, lyræq; sonabant,
Sibila tum frondes iaciebant, murmura riui.*

*Dicite Elistriades lugubria carmina Musæ.
Deserti mussant agni, stat bucula celum
Suspiciens, nec gramen auet, nec fluminis undam:
Vnus habet pecudes luctus, pecudumq; magistros.*

*Claudite Elistriades lugubria carmina Musæ.
Vos mecum ô socij violas, & spargite nardum,
Et lauri nemus, & myrti bicoloris amænum,
Et memori ingratum versu signate sepulcrum:*

Quo situs est *ALCON* tumulo, solatia ruris,
Atque amor, & charites recubant, & gaudia nostra.

Hæc Corydon; nunc quæ responderit ordine Damon,
Nympha refer; luctus infandi testis utrique.

D A. Quis te, quis mihi te rapuit tam ferreus, *ALCON*?
Spes ô fida mihi, rebûsque leuamen in arctis,
Et decus, atque mei merces iucunda laboris:
Nunc dolor, & nullo saturandus tempore luctus.

Incipe funesti carmen mea tibia cantus.
Quæ comitem tibi sæua negat me Parca sub umbras,
Pallentes umbras terræ, noctemq; profundam?
Quis tenet expertem (ne sit mihi uiuere) mortis,
Ingratum vitæ Deus, ingratumque salutis?

Incipe funesti carmen mea tibia cantus.
Elysia te nunc sedes, campiq; beati,
Purpureumq; uidet nemus, & secreta piorum
Concilia, immemorem nostri, pecorisq; relictæ:
Me sine Sole dies cernunt, sine sidere noctes
ALCONEM suspirantem, *ALCONEMq;* gementem.

Incipe funesti carmen mea tibia cantus.
Iam neque rura mihi, gelidisq; in vallibus amnes
Arrident: nec me cantu solatur aëdon,
Carmina nulla iuuant mœrentem: uiuite syluæ,
Viuite,

Viuite, nulla mei superest medicina doloris.

Incipe funesti carmen mea tibia cantus.

Conticuere agris argutæ sibila canna,

Dulce nec obloquitur Philomela sub ilice carmen:

At cuculis non ulla quies, vlulæq̄, strigiq̄,

Stridenti miserum disperdere gutture carmen,

Excercentq̄ coax per stagna loquacia rana.

Incipe funesti carmen mea tibia cantus.

Arua quis hoc melius presso renouauit aratro

Aonidum, rastris glebas & fregit inertes,

Induxitq̄ satis amnes, riuosq̄ sequentes?

Quis campos longis purgare ligonibus, illo

Cautior, & tribulos, & segnes tollere lappas?

Incipe funesti carmen mea tibia cantus.

Nunc inculta situ video durefcere rura:

Syluáque iam sterilis subit infelicis auenæ,

Et lolij seges, & paliuri ignobile germen.

Carduus, ô pueri fugite hinc, latet asper in herba.

Incipe funesti carmen mea tibia cantus.

Eheu quis Phœbi ducet per prata iuuenas,

Balantumq̄ greges, & amantes saxa capellas?

Quis vaccis tandem vitulos, & matribus agnos

Submittet, puroque omnes in fonte lauabit?

Incipe

Incipe funesti carmen mea tibia cantus.
Et quis erit tam mentis inops, vacuusq; pudoris,
Qui calamos ambire tuos non desinat audax:
Quos Rhodani pastor, quos ripam Thyrsis ad Arni,
Quos Istrumq; bibens veneratur, & accola Rheni:
Et quibus assurgit modulaminis autor Apollo.

Desine funesti carmen mea tibia cantus.
At tu (si quis honos) grata mihi semper auena
Pastores inter diuos celebraberis **ALCON**,
ALCONEM nemus omne canet, montesq; sonabunt,
ALCONEM pulsa referent ad sidera valles.
Sis bonus o, placidoq; tuos nos respice vultu.

F I N I S.

La 4690

AK



Incipe

mc

N E C L O G A,
S I V E
T E R E L A,

Za
4690

D O B I T V X 1994903

E V E R E N D I
D O C T R I N Æ Q V E
O P I A F A C V L T A T E Q V E
a, virtute, ac dignitate cla-
H I M I C A M E R A R I I,
in celeberrima Academia
Professoris eximij,
oq; incompa-
rabilis,

C R I P T A

A
rsmanno Annæbergensi,
ceptorem, Patronum, & ami-
tua observantia colendum.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

L I P S I Æ

Rhamba imprimebat

D. L X X I I I I .

doctiss. q. Viro Dn. Johanni Schenck
Magistro, ac ludi scholastici Haynensis
operatori, amico S. cariss. ad auctor.

8
7
6
5
4
3
2
1
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

B.I.G.

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

Farbkarte #13

